

32. Quòd verò Mosaicis legibus, minimè astricti hodiè teneamur, & Romanis legibus, aut alijs publica Magistratum & Imperatorum auctoritate confirmatis uti liceat, multis rationibus ad oculum demonstrari potest.

33. Quid enim sibi vult Moses aliud, legum suarum vel ceremonialium vel forensium promulgationi plerumq; subjiciens: Hæc custodietis in familijs VESTRIS in cognationibus VESTRIS; quàm nullum alium populum his legibus teneri, præter Iudaicum.

34. Deinde si necessitatis & juris divini esset, ut legi Mosaica Christiani se submitterent, consequens foret, omnibus in universum legum illarum speciebus eosdem astrictos esse. At posterior hæc conditio est partim inutilis, partim impossibilis. Ergo.

35. Ratio assumpti patet inde, quia fieri nequit, ut omnes forenses leges Mosis, nostro tempore, nostrisq; moribus accommodentur: ut, Exempli gratia; Annum Iubilaum, prædiorum reditutiones ad priores dominos, servitutum aut septennalem aut perpetuam postliminiò instituire, prorsus est impossibile.

36. Tum Iohannes Baptista approbat militiam Romanam, ac per consequens, Romanas etiã leges & constitutiones: Luc. 3. 14. Centurio, cujus fidẽ servator tantoperè prædicat, Magistratũ suũ jure Romano administravit, sicut & à Romanis in